

Voir, raconter, témoigner : pratiques et représentations du témoignage dans le monde gréco-latin

Le procès de Milon, ses récits et ses témoins

Charles Guérin, Sorbonne Université

22 septembre 2021

1. Nonne aut in tabulis aut in testibus omnis exspectatio iudicum est ? (*in Ver.* 2.1. 27.)
2. Adhuc enim testes ex eo genere a me sunt dati, non qui nouisse Gaium, sed se uidisse dicerent, cum is qui se ciuem Romanum esse clamaret, in crucem ageretur. (*in Ver.* 2.5.165)
3. Contionem ei post aliquot dies dedit M. Caelius tribunus plebis ac ipse [*i.e. Milo*] etiam causam egit ad populum. Dicebant uterque Miloni a Clodio factas esse insidias. (Asc. 33C)
4. Post diem tricesimum fere quam erat Clodius occisus Q. Metellus Scipio in senatu contra Q. Caepionem conquestus est de hac caede P. Clodi. Falsum esse dixit, quod Milo sic se defenderet, sed Clodium Aricinos decuriones alloquendi gratia abisse profectum cum sex ac XX seruis ; Milonem subito post horam quartam, senatu misso, cum seruis amplius CCC armatis obuiam ei contendisse et supra Bouillas inopinantem <in> itinere aggressum. Ibi P. Clodium tribus uulneribus acceptis Bouillas perlatus ; tabernam in quam perfugerat expugnatam a Milone ; semianimem Clodium extractum in uia Appia occisum esse anulumque eius ei morienti extractum. Deinde Milonem, cum sciret in Albano paruolum filium Clodi esse, uenisse ad uillam et, cum puer ante subtractus esset, ex seruo Halicore quaestionem ita habuisse ut eum articulatim consecaret ; uilicum et duos praeterea seruos iugulasse. (Asc. 34C-35C)
5. Deinde <T.> Munatius Plancus tribunus plebis produxerat in contionem M. Aemilium Philemonem, notum hominem, libertum M. Lepidi. <Is> se dicebat pariterque secum quattuor liberos homines iter facientes superuenisse cum Clodius occideretur, et ob id cum proclamassent, abreptos et perductos per duos

menses in uilla Milonis praecclusos fuisse ; eaque res seu uera seu falsa magnam inuidiam Miloni contraxerat. (Asc. 37C)

6. Idem quoque Munatius et Pompeius tribuni plebis in rostra produxerant triumuirum capitalem, eumque interrogauerant an Galatam Milonis seruum caedes facientem deprehendisset. Ille dormientem in taberna pro fugituo prehensum et ad se perductum esse responderat. (Asc. 37C)
7. **Album** quoque **iudicum** qui de ea re iudicarent Pompeius tale proposuit ut numquam neque clariores uiros neque sanctiores propositos esse constaret. [...] Citati deinde testes secundum legem quae, ut supra diximus, iubebat ut prius quam causa ageretur testes per triduum audirentur, dicta eorum **iudices** consignarent, quarta die adesse omnes iuberentur ac coram accusatore ac reo pilae in quibus **nomina iudicum** inscripta essent aequarentur ; dein rursus postera die **sortitio iudicum** fieret unius et LXXX : qui numerus cum sorte obtigisset, ipsi protinus sessum irent [...]. (Asc. 38C-39C)
8. [...] quae iudicia aliis audientibus iudicibus, aliis sententiam ferentibus singulis diebus erant perfecta [...] (*Bel. ciu.* III, 1)
9. Primo die datus erat in Milonem testis <C.> **Causinius Schola**, qui se cum P. Clodio fuisse, cum is occisus esset, dixit, atrocitatemque rei factae quam maxime potuit auxit.[...] **Multi ex iis qui Bouillis habitabant** testimonium dixerunt de eis quae ibi facta erant : coponem occisum, tabernam expugnatam, corpus Clodi in publicum extractum esse. **Virgines** quoque **Albanae** dixerunt mulierem ignotam uenisse ad se quae Milonis mandato uotum solueret, quod Clodius occisus esset. Vltimae testimonium dixerunt **Sempronia**, Tuditani filia, **socrus** P. Clodi, et **uxor Fuluia**, et fletu suo magnopere eos qui assistebant commouerunt. (Asc. 40C)
10. Primo die datus erat in Milonem testis <C.> Causinius Schola, qui se cum P. Clodio fuisse, cum is occisus esset, dixit, atrocitatemque rei factae quam maxime potuit auxit. Quem cum interrogare M. Marcellus coepisset, tanto tumultu Clodianae multitudinis circumstantis exterritus est ut uim ultimam timens in tribunal a Domitio reciperetur. Quam ob causam Marcellus et ipse Milo a Domitio praesidium implorauerunt. Sedebat eo tempore Cn. Pompeius ad aerarium, perturbatusque erat eodem illo clamore: itaque Domitio promisit se postero die cum praesidio descensurum, idque fecit. Qua re territi Clodiani silentio uerba testium per biduum audiri passi sunt. (Asc. 40C)

11. Nolui tam uehementer agere hoc prima actione, iudices, nolui ; uidistis enim ut animi multitudinis in istum dolore et odio et communis periculi metu concitarentur. Statui egomet mihi tum modum et orationi meae et C. Numitorio equiti Romano, primo homini, testi meo, et Glabrionem, id quod sapientissime fecit, facere laetatus sum, ut repente consilium in medio testimonio dimitteret. (*in Ver.* 2.5.163)
12. cum [...] Milonem occisum et ex ipso Clodio audirent et re uera putarent, fecerunt id serui Milonis – dicam enim aperte non deriuandi criminis causa, sed ut factum est – nec imperante nec sciente nec praesente domino, quod suos quisque seruos in tali re facere uoluisset. Haec sicuti exposui ita gesta sunt, iudices: insidiator superatus est, ui uicta uis uel potius oppressa uirtute audacia est. (*Mil.* 29-30)
13. illud iam in iudicium uenit, non occisusne sit, quod fatemur, sed iure an iniuria (*Mil.* 31)
14. [...] ut nihil iam quaerere aliud debeatis nisi uter utri insidias fecerit (*Mil.* 23).
15. Quibusnam de seruis? « Rogas? de P. Clodi ». Quis eos postulauit ? « Appius ». Quis produxit? « Appius ». Vnde? « ab Appio ». Di boni ! quid potest agi seuerius ? (*Mil.* 59)
16. Age uero, quae erat aut qualis quaestio ? « Heus tu, Rufio », uerbi causa, « caue sis mentiare : Clodius insidias fecit Miloni ? » « Fecit » : certa crux. « Nullas fecit » : sperata libertas. Quid hac quaestione certius ? (*Mil.* 60)
17. Legite testimonia testium uestrorum. « Dixit C. Causinius Schola, Interamnanus, familiarissimus et idem comes Clodi » – *cuius iam pridem testimonio Clodius eadem hora Interamnae fuerat et Romae* – « P. Clodium illo die in Albano mansurum fuisse, sed subito ei esse nuntiatum Cyrum architectum esse mortuum, itaque repente Romam constituisse proficisci. Dixit hoc item comes P. Clodi, C. Clodius. » Videte, iudices, quantae res his testimoniis sint confectae. (*Mil.* 46)
18. Primus haec tertio consulatu Cn. Pompeius adstrinxit imposuitque ueluti frenos eloquentiae (*Dial.* 38.1)
19. Videbantur non ignorasse iudices inscio Milone initio uulneratum esse Clodium, sed compererant, post quam uulneratus esset, iussu Milonis occisum. (*Asc.* 53C)